R

Gb
491 e

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0001-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0002-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0003-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0004-1

LUDICRA DUM SIMULANT SPECTACULA,
SERIA TRACTANT.

Was die alten in dem ſchertz lachendhaben vorgeſpielet.
Deſſen würckung krafft und ernſt hat man erſt im end gefühlet.

ORATIONES DUÆ,

De

RITU & MODO DEPOSITIONIS BEANORUM,

Sive

Demonſtratio quædam cur Tyrones & Novitii Studioſi antequam ad Dignitatem Academicam evehantur, Studioſorumque Privilegiorum & Juris participes fiant, deponendi & vexandi ſint.

Quibus in fine

Germanica quædam Depoſitoris Peroratio acceſſit.

& nunc denuo in lucem prodiit.

ARGENTORATI.

Apud JOHANNEM ALBERTUM DOLHOPFFIUM.

Anno M DC LXXX.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0007-8

Gb 491e
Univ. Bibl.
1950 K 1446

Pergite nunc Sorſum Domini! Ponenda BEANIS
Quæ ſint, en vobis hæc dabit alma dies.

Kom̃t Bachanten! Trett herbeÿ! eüch will ich auf eüer feſt
deponiren auf das beſt.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0010-4

Et caliendra tibi reſecabo, doceboq; crines
Ornandi pulchra qua ratione ſient

Weil du kanſt mancher haar, du Zottelbock, entpähren
Drum muſs zur Erbarkeit ich deinen kopff beſcheren

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0012-5



Auditus ad honesta tui ſic utere ſenſu:
Surd, at in vanis esto BEANE *ſolox.*

Vor Narrē ſchädigung laſ dein gehör geſchloſſen
Ich ſaubre dirs zur lehr, und nicht zu ſchlimē
poſſen

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0013-1

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0014-6

Universitäts-Bibliothek
HALLE
(Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0015-2

Dente Theonino ne poſsis rodere quemquam,
Denti frangibulum tale cavere cupit.

Laſs den Bachanten Zahn der läſt'rung dir auſziehen
Verleümbdung ſollſtu ſtets, wie ſelbſt die hölle, fliehen

Ut nihil emineat, ſint ut ſine ſordib, ungues,
additur hæc manib, lima polita tuis

Ich feygle dir die händ, um damit anzudeüten,
Daſs du, was redlich iſt, mit ihnen ſolt arbeiten.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0017-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0018-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0019-8

Imberbes vanis queis gaudent reb9, ab illis
O barbatus homo! tute caveto tibi.

Ich mahl dir einen bart, das du hinfort geartet
ſolt ſeÿn nicht wie ein Kind, daſs noch gantz vngebar-
tet.

Utilis ut fieres tignus, quo publica quondam
Res uti poſſit, vulnera tanta dedi,

Auch die Bachantē axt muſs euch mit ernſt behauen
was unbehauē bleibt ſchickt ſich zu Keinem bauen.

—1—3.2.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0022-0

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0023-6



Es jam nunc, ſemi ſtudioſe, doland, ut in te
Nil porro maneat, quod tibi dedecorẽ
Schickt eüch zum hobel-banck Ihr liebẽ halb-ſtudentẽ.
die laſter müſẽ weg, die eure jugent ſchändten.

Planula nil linquas! obſtat quod, quo minus apta
Com̄iſsura ſiet, planula linque nihil!
Schlichthobel thu dein beſt! was ſich noch nicht laſt fügen
Zum Bau der Erbarkeit, das hoble nach genügen

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0027-9

Ut terebrum è ligno mea ſedula dextera vertit!
et tu ſic artes exterebrato bonas.

Bey dieſem bohren denckt, daſs ihr, wan ihr niht thoren
Wolt bleiben im̃erdar! müſt dicke brettlein bohren

Improba vitanda est Siren quæcũq; ad honeſtos
Contra formandi mens animusq; modos
Lern jünglig dein gemüth nach dieſer Harmoni
zurichten welche nicht geht auſauf ein la mÿ

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0030-5

Universitäts-Bibliothek
Halle
(Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0031-0

Cornuadecutio: moriendum est namq; Beano:
Ne nova recreſcant, magne Beane cave!

Mit dem Bachantē geiſt ſolls jezund ſeÿn Shabab
drum eüch die hörner man auch endlich ſchla,,
get ab.

Quam jacet hic bene, qui porro cupit eſſe Bean,!
Qui ſtudioſus erit, ſurrigat ille caput!
Wer ein Bachant noch iſt, der bleib nur im̄er liegen!
wer ein Student will ſeyn, der mag herfür ſich fügē!

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0034-7

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0035-3

Incluſum ſacco quondamq fuiſse ſcholari,
Hoc homini tandem cõmoda mille tulit.

Wie hilffts doch mehr alſ wohl zu einer Mañs geneſẽ
wan er im Schuler-ſack iſt eingeſteckt geweſẽ.

Circinat hic omnes, quos unquam coeperit actus;
Qui ſua cum turpi dam̄a pudore fugit,
So ihr waſ nehmet für; ſo möcht ihr vor wohl ſehen
daſ ihrs recht Cirkelt auſ, ſonſt iſts um eüch geſchehē,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0038-0

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (Saale) *

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0039-9

Non opus hoc tractandũ eſt: Alea plena pericli:
Diſce bonas artes; hæ bona lucra dabunt.
diß ſpielen ſolle nichts: deſ nutzens wirſtu iñen
den du durch eÿgne müeh auß bücherẽ wirſt ge-
winnen.

Vos adſtructuras metatur perticatales,
Patria quas poſcit, Curia, Templa, Scholæ
Diſs ſchicket ſich zur Kirch: das zū Regētē hauſs:
Auſs dem wirt ein Standart: Mit dieſē wird nichts
aus.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0043-7

Depoſitor, legata Beaniſmi en tibi! Nunquam
atq; status noſtri ſis maneas q; memor!
Um[B] daß ihr meiner möcht im beſten[B] auch gedenckē,
will, Herr Depoſitor, ich Euch zur letz diß ſchen-
ckhen.

Sal Sophiæ guſtate! Bibatis vinaq; læta!
Augeat im̄enſis vos inutrisq; DEUS!

Nehmt hin der weiſheit ſaltz! nehmt hin den wein der freüde!
Eüch, Ihr Studenten Ihr, mehr Gott an allen bëyden

M. Rapp

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0046-4

De ritu Depoſitionis.

Oratio Prima.

SICUT Pictor elegantem imaginem & quæ multos ad ſui amorem pulchritudine inſigni allicere poſſet, incipiens & deinde ante Coronidem additam relinquens, ineptus meritò haberetur, & diceretur: Non ſecùs & nos in provinciâ noſtrâ citra reprehenſionem, & quidem juſtam vivere haud poſſemus, ſi inceptum penſum abſolvere diligentiâ tantâ, quanta in nos homunciones humi ſtratos cadere poteſt, non pergeremus, & omne id quod in noſtrâ militiâ neceſſarium eſt, conjungeremus. Duplex autem omninò eſt id, quod in ſtudioſo requiritur, Studiorum ſcilicet conformatio, & morum elegantia, quorum alterum ſi deeſt, Studioſus non muſarum, ſed fœdiſſimæ Chymæræ imaginem refert atque ſimulacrum. Qui enim, ut Proverbium veritatis calculo ſtimulatum

habet, proficit in literis, & deficit in moribus, plus deficit quàm proficit. Cùm itaque de dignitate, utilitate, jucunditate ſtudij Philoſophici Dominus Decanus perorarit, & neceſſarium id præ cæteris omnibus (religioni & cultui divino cui hoc ſervit, priore loco conceſſo) probarit, ego quoque ex eodem campo floſculum mellitiſſimum decerpere mihi propoſui, & argumentum eam partem declarans, quæ mores informat, utilitate clarum, jucunditate conſpicuum, ſcituque neceſſarium proferre conſtitui. Sed neſcio quomodo hîc mihi quosdam, quibus modulus eſt vitæ culina, oblaturos, animus præſagit, nihil omninò in publicum proferendum, cujus non certus auctor, & in omnibus firmata demonſtrationibus ſcientia, ex probatiſſimis auctoribus, iisque compluribus proferri poſſit, ut ita conſentientium teſtimoniorum ſuffragiis res ſtabilita, tanquam Sybillæ folium, ab oraculo ex tripode confirmatum, ab omnibus tutò recipiatur. Hoc totum quicquid eſt, libenter ipſis do atque largior, ea videlicet quæ multorum teſtimoniis firmata ſunt, tutius recipi: verùm illud quod dici-

dicitur, nihil in publicum, niſi omnino certum producendum, ut concedam, tantum abeſt, ut etiam contradicam, exemplis ſuffultus pluribus. Hac enim ratione, neque Medicinæ, neque Jurisprudentiæ, neque Aſtronomiæ, neque aliarum ſcientiarum eſſet facienda mentio, in quibus multæ probabiles rationes, dum infallibiles demonſtrationes deſunt, recipiuntur. Quare cùm me excuſatum fore certò mihi pollicear, ſi argumentum, non multorum quidem ſcriptis illuſtratum, utile tamen, & ideò magis gratum, in medium protulero: quantum per anguſtiam temporis & vires ingenii exiles conceditur, ſtrictim ϗ λακονικῶς de ritu in ſcholis uſitato, & propter multas utilitates conſervatione digno, quem receptionem, & examen Tyronum, aut vulgo Beanorum depoſitionem appellitant, commentaciunculam inſtituam, ejusque originem unâ cum tempore & loco, deinde cauſas, præterea typum etiam, & tandem ceremonias in eo uſitatas patefaciam. Imo ut hunc non omninò parvi faciatis, propter cauſas, quas ex ordine commemorari audietis, ſi non perſuadere poſſum,

attamen conabor. Ad primum ex quadripartita propoſitione membrũ quod attinet, originem ſcilicet, non multa neque in veteribus, neque recentioribus reperiuntur, niſi quod Gregorius ob excellentem in divinis ſapientiam, vas electionis, Magnus, puteus profundus, & os Chriſti appellatus, in Monodiâ de vitâ Baſilij Magni ſcribit, hunc ritũ primum à doctis, piisq; viris in loco ideò celebri, quòd ex eo, tanquam ex equo Trojano catervatim docti provenerint, Athenis ſcilicet in florentiſſimâ diſcentium frequentiâ inſtitutum eſſe, addens tunc Baſilium Magnum Athenas ex Conſtantinopolitanâ Academiâ, Athenienſi id temporis non minùs celebrem rediiſſe, eaq; de cauſa dictum Baſilium, hunc ludum effugiſſe, quòd non novitius hujus Univerſitatis Studioſus, ſed ex Veteranis putaretur. Verba Gregorij Naſſianſeni breviter cõtracta, quoniam multam doctrinã continent, ſubijcio: Quando aliquem nacti ſunt (inquit) diſcipulum, ridiculum ſanè, quem in modum illum exagitent, aut deludant, ut ejus faſtum & arrogantiam (ſi quam fortè habet) extinguant, & humanum, ac facilem

lem reddant. Nam quidam verbis provocare, ac captioſè, petulanterque interrogare, per contentionem, quidam audacter, & incompoſitè, nonnulli verò cum ratione, & dialecticâ ſolent. Quod ſanè factum iis, qui rem hanc & conſuetudinem neſciunt, metum incutit; iis verò qui norunt, jucundum & ludi inſtar eſt. Oſtentatio quidem ſola timorem habere videtur, res verò minimè. Poſt hæc in balneum per forum eum ducunt: appropinquantes furentium more ſaltant, & clamant: vox hæc eſt: Balneum prohibetis, nec nos recipitis. Simulq; portas calcibus perfringunt, ut vox ac ſonitus hoſpitem eò deductum, perterreat: & ex hoc ſanè appareat, an is intrepidus, & firmus, an mollis, & inconſtans exiſtat. Deinde in Balneum introducunt, & ab omni liberant metu, & in reliquum tempus, ut unum ex eis habent. His demum nugis illa Juventus oblectatur. Hanc illius ludi conſuetudinem, unus Baſilius effugit, effici enim ut non novus, & ſuperadvena, ſed ex veteranis videretur: Hactenus Gregorius. Hinc ſanè origo hujus ritûs inſtituti, & tempus quodammodo colligitur.

Hæc enim ante annos mille ducentos accidiſſe, ex probabilibus rationibus colligi poteſt, circa annum ſcilicet Chriſti Salvatoris, trecenteſimum, ſexageſimum, cùm circa annum Chriſti 370. claruerint, cùm Gregorius Magnus, ut refert Divus Hieronymus Diſcipulus ipſius, & Rufinus lib. 2. cap. 9. tùm ipſe Baſilius Cæſareæ in Cappadociâ Epiſcopus, ut ex ejusdem etiam epiſtolis doceri poteſt. Cùm autem monſtratâ origine, loco, tempore, nefas eſſe videatur ſuſpicari, tot, tantoſque Viros, qui in dictâ Scholâ Athenienſi tum floruerunt, quicquam temerè, aut ſine gravibus cauſis inſtituiſſe, de iis etiam videbimus. Conſentaneum autem eſt, eos exactum diſcrimen conſtituere voluiſſe inter Adoleſcentes, recenter ad Academias, ut ſe Muſarum caſtris adjungant, confluentes, cùm alij ingenio naturavè ad ſtudia minus apti, alij voluntate perverſa ab iis alieni deprehendantur. Idque fecerunt ex Majorum ſapientiſſimorum imitatione, quibus ſtatutum arctiſſimè fuit, neminem in ſuam diſciplinam recipere, niſi ingenium, naturam, mores, atque voluntatem diligentiſſimè exploraſſent.

Sicut de Pythagora ſcribit Gellius lib. 1. noctium Atticarum, cap. 1. A principio Adoleſcentes qui ſeſe ad diſcendum obtulerant ἐφυσιογνωμόνει, id eſt mores naturasque conjectatione quâdam ex oris & vultus, atque adeò totius corporis filo atque habitu ſciſcitabatur; Eum qui exploratus ab eo, idoneusque judicatus erat, recipi in diſciplinam ſtatim jubebat. Idem de Ariſtotele lib. 20. c. 4. refert, quòd non temerè quemlibet admiſerit, niſi antea ingenium atque eruditionis elementa & in diſcendo ſtudium, laboremque exploraſſet. Non diſſimile eſt, quod Strabo de Indorum Brachmannis affirmat. Eos enim qui ad ætatis trigeſimum annum tacere, frugaliter vivere, carne & venere abſtinere nollent, ut incontinentes, & ad Philoſophiam percipiendam haud idoneos repudiabant. Lacedæmonii qui in educatione juventutis ſemper præ cæteris populis ferè omnibus, egregiè laboraſſe ſcribuntur, liberorum & commiſſorum indolem admotis verberibus tam acriter ſæpè experti ſunt, ut non pauci ex eo morerentur, teſte Rhodigino libro antiquitatum 18. Eſſæos quoque nemi-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-354930-p0053-3

nem in ſuum conſortium ſuſcepiſſe niſi per biennium patientiæ ſigna edidiſſet, atq; jurejurando confirmaſſet, ſe juſtitiæ adhæſurum, & nulli alteri hæreſis dogmata traditurum, ſectæque libros conſervaturum. Euſebius lib. 9. præparationis Evangelicæ, cap. 1. auctor eſt ἀξιόπιστος. Horum licet diverſorum populorum unus & idem fuit in hac actione finis, ut videlicet ad quid naturâ ſuâ diſcipuli ferrentur, atque aptiores eſſent, cognoſcerent, ut ſi omnino ἄμουσοι & μαργέται eſſent, quos Deus neque aratores, neque foſſores, nec agricolas, nec præterea ad ullam rem idoneos feciſſet, (ut Homerus in Margite, citante id Ariſtotele lib. 6. cap. 7. ἠθικῶν Νικομαχείων loquitur) caverent, ne fruſtra nobilem ætatem, parentumque ſudorem in Gymnaſio, dedecorantes, & Præceptoris & ſcholæ authoritatem conſumerent. Non alio ſanè fine Athenienſis Academiæ Proceres, doctrinâ atque experientiâ clariſſimi, hunc, de quo agimus, ritum depoſitionis inſtituêre, quàm ut ingenium, naturamque cuiſvis explorarent, philoſophorum & celeberrimorum hominum exemplis jam recitatis permoti: neque

neque ſolum ingenium, ſed voluntas etiam fuit cognoſcenda, quod aliquanto plus laboris & accuratiorem obſervationem requirit. Nam in quibuſdam ſingularis voluntas elucet, quòd ſtrenuè operam literis ſint navaturi, in quibuſdam malitioſæ, diſtortæ & monſtroſæ voluntatis pravitas, atq; proæreſis ignavè atque remiſſè, ex induſtriâ omnia agendi, & tantùm ſtudia titulo tenus ſectandi. Hujus farinæ multi ſunt Libethriis indoctiores, qui neq; natare, neq; literars diſcere curant, nihilominùs tamen patria bona, ſudore laboreq́; plus quàm Hercules parta, dilapidare, atque concoquere alti voragine ventris non verentur, idq́ue ratione multò inhoneſtiore, quàm ſuperiores, quibus non voluntas quidem, ſed ingenium eſt negatum. His perditis tamen Craſſos ſe ſomniant, Iri autem paupertatem experiuntur, aut ut græcum habet proverbium, fiunt πτωχολάζονες. Deficientibus autem poſtea rebus omnibus neceſſariis, in quàm tetra ſcelera prolabantur, horrendisq́; flagitiis immergantur, narrare animus cogitatione ferè conſternatus prohibet. Ideò hæc vobis perpendenda

denda relinquens procedo. Aliam cauſam, eamq; non levem expreſsè in verbis ante adductis deſcribit os divinæ ſapientiæ profundum Gregorius, quòd videlicet voluerunt arrogantiam faſtumq́; novitiorum reprimere, eoſq́; humaniores reddere, & eò deducere, quò ſubmiſſiùs de ſe & ſuppellectile ſua curta quam domi ſecum habitantes reperirent, judicare diſcerent. Quidam enim Diabolico ſuperbiæ veneno adeò ſunt infecti, ut omnes alios præ ſe non modò ſuperciliosè contemnant, ſed & præceptorum, aliorumq́; ſuperiorum authoritatem aut parvi faciant, aut omninò nihili pendant, aut tantam eruditionis opinionem de ſe concipiant, ut parum etiam abſit, quin ex tumore rumpantur. Hoc in caſu verum exauditur id, quod vulgo jactatur: Multi ad eruditionem perveniſſent, niſi ad eruditionem ſe diu perveniſſe putaſſent. Hoſce aureorum montium ſomniatores in alto circumvolitantes, Icari inſtar, & magnos jactantes ſpiritus ut ad humilitatem, quæ omnium ſtudiorum mater eſt, ut ἔνδεια τῆς ὑγιείας ὑγείας reducerent, & humi ſerpere docerent, hoc ritu eos initiari voluerunt.

luerunt. Si enim teſtimonio Socratis, oraculo Delphici Apollinis omnium ſapientiſſimi habiti, ſcire noſtrum nihil eſt, aut ἀμφισϐητήσιμον ὄναρ, qualecunq; vel mediocre etiam ſit, quanto magis horum elatorum, & mero faſtu, non doctrinæ Elementaris in primis literis & ſyllabis, vel ſi quidquam tenuius poſſum nominare, ſolida cognitione tumentium, concepta de ſe perſuaſio erit inanis, futilis, nullius momenti, atque umbratilis? Sicut enim umbra non ſolet neque poteſt diutiùs durare, quàm corpus aliquod opacum objectum lumen Solis aut alterius corporis lucidi intercipit, atque hoc remoto cadit: Ita hæc doctrinæ magnæ opinio ſplendidè quidem concepta, non poteſt conſiſtere, ſi parvulus alicujus doctioris ventus tegumentum qualitercunq; fucum faciens, ventilare inceperit. Quod ſi fiet, tum non aliter ac Graculus Aeſopicus, aut Aſinus Cumęus qui ſibi Leonis pelle indutus leo videbatur, cum ſummo dedecore & damnum quod ſarciri nunquam poteſt, reliquum habebunt. Hoc idem & ſuperbo Gallo acidit, qui dum in ſuo ſterquilinio criſtas tollit, & pennas nido majo-

majores extendit, nemo aliter ſtatuere aut judicare poteſt quàm ipſum ſolum in aula Regem, ſed ſuperveniente alio potentiore, aut proprio nidi Domino, quàm latum ſit ſuum imperium, experitur. Tertia cauſa ſuccedit, quæ eſt, quòd non parum referat, quales præceptor diſcipulos habeat, cùm propter ipſius, tùm ſcholæ authoritatem. Quicunq; enim Diſcipulorum in vitia ſupra dicta incurrunt, à ſtudiis omninò cohibere, tùm tutius, tùm conducibilius exiſtimo, quàm in malitiâ ſuâ confirmare, quod fit fovendo eos, qui aut ex tumore, aut conceptæ eruditionis vanâ opinione, aut præpoſterâ ignavia procedere nolunt. Atque in hoc ſapientiſſimi Viri optimè proſpexerunt Præceptoribus, ex imitatione antiquiſſimorum Philoſophorum, ut ſuprà dictum, ne facilè vel contumaces, vel negligentes, aut aſinis ignaviſſimis pigriores, & Præceptoris, & ſcholæ authoritati labem aſpergerent, quæ poſtea non ſine magno labore elueretur. Et quemlibet velim conſiderare, quantum decus, quantamque gloriam conſequatur, ex ejuſmodi quos modo deſcripſimus tribus Anticyris, & brevibus

Gyaris

Gyaris dignis Diſcipulis. Nonne Præceptor inſcitiæ, ignaviæ, ſocordiæ, avaritiæ, & quidem ejuſmodi quæ etiam ex lotio, ut de Veſpaſiano dicitur, corradere aliquid ſtudet, inſimulabitur, nonne mendacii, ut qui multa promiſerit, parum autem, ſive nihil præſtiterit? An non ſchola quæ Studioſorum debet eſſe receptaculum, ſtabulum ignaviſſimorum hominum & turpiſſimorum ventrum, lucronum, comedonum, & ejuſmodi harpyarum, quæ nihil aliud quàm terram gravare, eandemq; ſuo fætore complere poſſint, in omnibus triviis appellabitur. Quartò: cùm certò conſtet, eos, qui mediocrem in literis progreſſum fecère, ſæpè de vitâ, ſtudiisque in poſterum inſtituendis admonẽdos eſſe, commodè huc etiam veteres reſpêxere, & hoc ritu tempus huic admonitioni conveniens definiverunt, ideoq; neminem ad majora ut graſſaretur, admittere voluerunt, niſi ex intervallo hoc ritu præcedente, & quibuſdam Præceptis propoſitis. Hîc ſe latiſſimus dicendi campus aperit, qui totam vivendi diſcendiq; rationem ſuo ambitu continet. Quoniam autem hæc de virtutibus ſtudioſum decenti-

centi-

centibus, & ratione rectè inſtituendi ſtudia longior eſt, quàm ut hîc poſſet abſolvi, doctrina, & aliâs aures veſtras in omnibus lectionibus circumſonat. De hac in præſentia nihil dicam, ſed ad aliud tempus hoc amplum dicendi argumentum differendum puto, ſufficitque mihi demonſtraſſe, quòd veteres ideò etiam hunc ritum inſtituerint, ut non nihil progreſſus in ſtudiis, & ad Academias cogitantes, de vita in poſterum rectè ingredienda & regenda commonefacerent, quod adhuc utiliter ſervatur. Expoſui hactenus cauſas ut pollicitus ſum, ſequitur ergo typus de quo eadem brevitate, quâ in ſuperioribus uſus ſum, dicam, cùm doctrinam admonitionemve neceſſariam contineat. Depoſitio eſt ritus in ſcholis uſitatus, à majoribus inſtitutus, luſui jocoſo non abſimilis, oſtendens omnes eas difficultates, atque calamitates, quas quemq; ex Dei optimi altiſſimique voluntate aut conceſſione ferre convenit, atque adeò oportet in hac ſua ſcholaſticâ militiâ. Hinc reverendus, pietate, doctrinâ, atq; multarum rerum experientiâ clariſſimus Vir D. Johannes Matthеſius concione 12. de vita

Luthe-

Lutheri hiſtoriam utilem annotatam reliquit. Anno 1540. aliquot civium ex valle Joachimicâ, filii cornua de more ſcholarum in præſentiâ Parentum, quos D. Lutherus convivio & hoſpitio exceperat, depoſuerunt, atque hoc ſpectaculo ad finem perducto, pro conſuetudine, ſanctæ memoriæ Lutheri abſolvendi, & in numerum Studioſorum recipiendi oblati ſunt. Hinc inter alias multas pias eruditasque diſſertationes, tandem hoc addidit: Hæc depoſitio eſt tantùm ludus pro pueris inſtitutus, nihilominùs tamen ſignificat eas difficultates atque calamitates cum periculis conjunctas, quas exantlare atque ferre oportet adultos, ad publica munia, vel eccleſiarum, vel ſcholarum, vel rerumpublicarum evectos. Verbi enim Miniſtrum auditores, Informatorem juventutis Diſcipuli, Reipublicæ Præſidem ſubditi atque cives variè vexant, & exagitant. Uſurpatur autem hæc depoſitio, ut pueri à teneris aſſuefiant ad patientiam. Qui nihil perferre ac pati poteſt, ad gubernationem cùm politicam, tùm eccleſiaſticam, cum aliquo commodo adhiberi non poteſt. Atque hoc de prima ſignificatio-

ficatione dixiſſe ſatis eſt. Deinde hoc ritu oſtenditur, hunc diem alios mores, aliamque vitam poſtulare, & non aliter animum à vitiis & inquinamentis errorumquorumcunque, quàm corpus à ſordibus per depoſitorem mundatum eſt, purgari debere. Hîc occurit admonitio extremè neceſſaria: Multi enim Studioſorum animi hâc impiâ fuerunt & ſunt faſcinati opinione, ut firmum ratumque habeant, Studioſorum vitam eſſe illam cyclopicam ferociam, Lapytharumq; licentiam, quâ quodvis, quod libeat, liceat. Quilibet ex maxima turba egregiè ſe Studioſi officio functum eſſe, & fungi certiſſimè credit, ſi multas pervagari plateas nocte dieque poſſit, caligis ad talos uſque demiſſis, & dependentibus, monſtroſiſſimè ad tetriorem quàm Diaboli imaginem confectis incedat, quemlibet ſtultum, in levitate veſtitûs hominem non decente, imitetur, redimicula in mitris, brachiis, & aliis repræſentet, annulos inſtar hiſtrionum, & Bacchanaliorum feſta celebrantium ex auriculis dependentes geſtet, ſtrenuè pro libris pocula evertat, manibus pro papyro chartam luſoriam tractet,

ctet, loco Collegiorum ſtabula equorum, vel domus veteribus inacceſſas imò ignotas viſitet, omnia nolo neque poſſum dicendo perſequi. Hæc nocentiſſima peſtis animis Studioſorum eximenda, & radicitùs evellenda eſt, & quid quemq; deceat commemorandum eſt. Si enim nullum inter latronem, lurconem, comedonem, bibonem, hiſtrionem, ardelionem, & id genus de infima fece & ſentina hominum, imò cloacis Diabolorum, & Studioſum debet eſſe diſcrimen, ad quid dicas mihi ſcholas inſtitutas cenſes? Horum, ut mihi tempe rem, vitiorum nullum in ſtudioſo exiſtere veteres paſſi ſunt. Ideoq; hoc depoſitionis tempore animum à vitiis purgari voluerunt, ita, ut membra exteriora à ſordibus mundantur à Depoſitore, ſingula armis ſuis attentante, & nodoſum diſtorto robore truncum tondente, ſecante, radente, lavante, ſcabente, tornante, terebrante, dividente, componente, fricante, dedolante, curvum quod eſt rectè ponente, ut hoc eleganti carmine heroico deſcriptũ jam circumfertur. Cùm enim vero verius ſit, larvas atque cornuta monſtra, feroces, indomitos, intractabiles

biles animos, effrenaq; colla juventæ deſignare, quę ut plurimum eſt multis contaminata vitiis, cœca, ſtolida, inepta, iners, temeraria, audax, impatiens, aſpera monitoribus, legum contemtrix, ſuperba, & pluribus atq; majoribus vitiis atq; flagitiis deformata: quis dubitare poterit, & externam illam depoſitionem interiorum flagitiorum abjectionem notare, & præterea oſtẽdere in locum vitiorum abjectorum certas & ornantes omnem ætatem virtutes ſuccedere debere. Sed ut ad finem decurrat oratio, de ceremoniis ſive ſalis & vini uſu, tam paucis, quàm fieri poteſt verbis ſuccinctam enodationem adjicio. Notum eſt ex lectione ſacrarum literarum ſalem & in ſacrificiis Deo oblatis, fuiſſe ex ipſius Dei mandato uſitatum, ita enim textus Levitici 2. habet: Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. Quid ergo, dicat aliquis, tantam authoritatem ſal conſecutus eſt, ut in ſacrificiis Dei veri, & poſteà per κακοζηλίαν in Ethnicorum oblationibus etiam uſurpari cœperit? Imò ut ea maximè, quæ huc conveniunt attingam: Significat primò Deo conſe-

crari, quicquid hujus ſalis uſu imbuitur. Mementote ergo Studioſi optimi hoc, voſmetipſos Deo, & bonis artibus ab ipſo humano generi datis, religione voti, imò jurisjurandi obſtringitis & deſpondetis, quo poſteà per totam veſtram vitam tenemini, quod impunè violare, aut temerè reſcindere vobis non eſt integrum. Agite ergò, quid in hoc ritu ſale fœderis tanquam arrhâ interveniente ſpoponderitis, quotidiè cum gravi curâ perpendite, bonis artibus ſtrenuè incumbite, & veſtræ vocationis officia piè curate, ut aliquando cùm à Deo, cui jam voviſtis, imò de perpetuâ fide jusjurandum ſanctum dediſtis, vocamini, bonarum artium doctrinâ, & vitæ innocentiâ aliis multum prodeſſe poſitis. Deindè & ſal conſentiente omnium cùm Theologorum, tùm Philoſophorum judicio atque teſtimonio ſapientiam ſive doctrinam adumbrat. Idque non tantùm propter conſtitutionem ſive materiam; ſed etiam effectũ & utilitates in quibus conveniunt maximas. Conſtitutione quidem, quòd indicat qualis debeat eſſe ſapientia. Nam ſicut ſal ex rebus puriſſimis conſtat: ita & hæc debet eſſe pura,

 ſana,

ſana, immaculata, & ſine corruptione. Quamvis autem hæc ſapientia duplex eſt, divina & humana, ſive ſacra & civilis, alteraque alteram longo intervallo ſuo doctrinæ genere antecedit, tamen in altera etiam ſua eſt puritas in artibus & linguis, quâ ſocietas civilis carere nullo modo poteſt. Hujus utriuſq; ſapientiæ puritas, iis, quibus hic ſal ſapientiæ porrigitur, commendatur. Effectibus verò ſal doctrinæ & ſapientiæ ſymbolum eſſe deprehenditur. Sal enim adhibitus incidit, & ſi quid in corpore humano impuri adhæſit, mordendo abſtergit, ſuperfluos vitioſoſve humores tenues, pelliculas, & membra totius corporis erodentes diſſolvit, exiccat, abſumit, & putrefactionē ac interitum, qui ex nimiâ humiditate, & calore alieno provenit, ſuâ innata caliditate & virtute ſpecifica prohibet, & naturam rei conditæ integram ſervat. Hinc apud veteres extat dictum etiam ipſa alluſione jucundum: Totis corporibus nihil eſſe utilius ſale & ſole. Quorſum hæc (ni fallor) objicis? Importuna ſunt, & nihil ad rem, οὐδὲν πρὸς ἔπος. Audias quæſo & perpendas pauca: vita noſtra hujus ſapientiæ & doctrinæ beneficio

ita debet eſſe compoſita & ornata, ut ſalis naturam atque effectum referat, ut ſi quicquam vitii, aut mali habitus ex vita antè malè & perperam acta, ex quotidiana conſuetudine adhæſerit, id eluat ſive abſtergat, alia honeſtatem in præſentiâ lædentia, & non aliter quàm acres humores corpus arrodunt, mentem invadentia, expellat, & omnia ad putrefactionem tendentia, id eſt, promptitudinē ad flagitia, ſuperbiam, amorem voluptatum, opum, gloriæ, aut alia hominis ſtudioſi vitam dedecentia corrigat, funditus atque radicitus exterminet: è contra ſapientiæ uſum inducat, ut nihil in tota vita, vel ex effectu, vel averſa à ratione contra naturam animi commotione, geſtum videatur. Ex hoc abſque dubio harum duarum rerum ſymbolo ſive convenientiâ ortæ ſunt cùm Chriſti, Prophetarum, & Apoſtolorum, tùm Ethnicorum loquendi formulæ, quales ſunt: bonus eſt ſal, habete in vobis ſalem, & pacem habete inter vos; & D. Paulus inquit: ſermo veſter ſit ſale conditus. Tale eſt proverbium vulgare, Salſitudo non eſt illi, uſurpatum de ineptis & ſtultis hominibus, quos aliâs ex eodem fonte de-

ducto nomine inſulſos appellitam9. Eodem ſermonis modo ſalem apponere dicitur, qui juſtitiam & æquitatem omni ſtudet pro viribus adhibere negotio, nullâ fermentatam humanorum affectuum προσωποληψίᾳ. Cæterùm ſicut ille in cibis paulò liberalius aſperſus, ſi tamen non ſit immodicus, adfert aliquid propriæ voluptatis, & ſua quæ jam recitari audiviſtis habet commoda: ita per hunc adumbrata omnium actionum ſapiens inſtitutio quiddam habet, quod videndi, ac ut ſummatim dicam potiundi ſitim habet. Hæc aurea mediocritas eſt ſubſequentis in ritu de quo agimus vini adhibitionem indicata. Hoc enim mediocritatis norma ſervatâ adhibitum, cor hominis, teſtes vide ſacras literas exhilarat, in exceſſu ridiculos, bellicoſos, lachrymoſos, & ſordidos ciet affectus, triſtiſſimorumque morborum cauſa atque origo eſt; uſus itaque vini, modum, opportunitatem, locum atque tempus in decoro ſapientiæ uſu ſalis monſtratæ, denotat, ut ubique quid tempus poſtulet, obſervemus, ne plura quàm decet loquamur, ut nos oſtentemus, ſed eorum quibuscum ſumus dignitatis atq; commodi

modi

modi rationem, quantum ſapientia cùm divina, tùm humana jubet, habeamus, denique in nullo alio genere inconcinni videamur. Hactenus recitata in ſcholis uſitati & magnifaciendi ritûs deſcriptio, multa & honeſtatis & probitatis inſignia præcepta continet, quę indies magis atq; magis elucent atq; clariora fiunt, in mẽbrorum exteriorum aut locomotivæ diligenti gubernatione, & ex qua hęc fluit, diligenti animi informatione, quæ tantũ habet momenti, ut vitia congenita & ab origine ex fontibus depravatæ naturæ dimanantia corrigat, atq; pro vitiis virtutem, pro turpitudine laudem, pro probro decus, pro inſcitiâ doctrinam, & alia ejuſdem generis reponat, ut omninò id fiat, quod ſermone omnium trito proverbio celebratur: Conſuetudo eſt altera natura. Propterea etiam ut ſapienter inſtitutus: ita diligenter hic ritus ut neceſſarium ſtudiorum adminiculum cuſtodiendus eſt, de eoque non tantùm, ut de inani ſacerdotum Cybeles, ut Bacchanalia celebrantium diſcurſu, impudicis, obſcœniſq; luſibus atq; jocis, ſed reverenter eſt ſentiendum.

Per ea enim ludicra, quæ oculus ex-

ternus videt, animus interioris domûs habitator nobiliſſimus, ſeria intelligit. Et ſanè, ſi nihil aliud mediocre incitamentum afferre poſſet, quo honeſtius de hoc ritu ſentiremus, ipſum impensè amaremus, certè ſola poſſet tantorum virorum authoritas & antiquitas, ex qua depromta novis omnibùs veriora cenſentur, neq; id immeritò: Propiùs enim à Deorum origine majores illi ſapientiſſimi abfuerunt, ideoque oculis prudentiæ clariùs fulgentibus, & rerum experientiâ elaboratis, plura cùm viderunt, tùm explorarunt, rectiusque judicarunt quàm mens noſtra, intra arctos cum parva ſapientiæ ſcintillula concluſa limites, perſpicere poteſt. Sed nunc cæteris rejectis ſufficit recitaſſe hiſtoriam continentem originem, cum loco & tempore, cauſas, typum, ceremoniasq; ne hic ritus inanis, vanusq; luſus videatur.

Judicium D. Doctoris Martini Lutheri.

EST hæc præſens depoſitio & larva, mi puer, nihil quàm initium tantùm earum depoſitionum, quę reſtabunt

tibi per omnem vitam. Hic unus miſer homo imponit tibi ad dimidiam horam cornua, ridet te. Sed, crede mihi, longè majora venient: Proximus erit Depoſitor, Præceptor ſeu magiſter, qui te deponet quotidiè, & quod in moribus & religione agreſte erit, reſecabit, non profectò uno ictu aut caſtigatione, ſed crebris ac multis, donec dolatum te paululùm, tradet Paſtori, ſeu concionatori; Is etiam, quantum potuerit conabitur, ut ex impio te reddat & retineat pium. Hos ſequetur ipſe Magiſtratus & Rector, qui ſi nequam eſſe cœperis, duriùs etiam te tractabunt. His primis itaque Depoſitionibus ſuperatis, & cùm aliquantulum exercitatus, ad majora venies, hoc eſt, vel duces uxorem, quæ te perpetuò ſuis deponet modis, donec te manſuetiorem reddat. Ne dicam hìc interim, quantum Depoſitionum ſenties, ſi pertractus fueris ad ſumma officia, vel ad adminiſtrationem Reipublicæ, vel Eccleſiæ, Deus bone, quantum difficultatum & miſeriarum (quæ omnia putabis Depoſitionis partem eſſe) hîc tibi exorbendum eſt? Hîc tibi ruſtici, Nobiles, Cives, imò Servi & miniſtri tui, plus ſatis magnum numerum

merum cornuum imponent. Quare mi adoleſcens, putato ea, quæ nunc vides & ſentis, eſſe tantùm præludia eorum, quæ tibi reſtabunt ſuperāda per omnem uſque vitam. His itaque jam ab ineunte ætate aſſueſce, ut æquiore animo ad majora adhibitus, curas & remoras ferre queas: multum enim à teneris aſſueſcere, conflictari cum talibus monſtris, ut Herculem puerum ſcribunt in cunis angues ſolitum eſſe ſuffocare. Alterum eſt etiam, ut te admoneam, ut cogites, in quem ſtatum te nunc Deus vocarit, nempè ſtudioſorum. Itaq; cogita, cùm à nobis exieris, occurrent tibi Scholaſticorum ſeu ſtudentium multi: ſed horum alii ſunt nequam, immorigeri, negligentes, luſores, lurcones, heluones, impii etiam, quos nolo ſecteris. Alios contrà invenies bonos, honeſtos, pios, morigeros, & ſtudioſos, hos ſecteris. Quod ſi feceris, eris & tu bonus & pius, & ſcias conſuetudinem cum pravis & nequam hominibus reddere pravos: Nam conſuetudo in utramq; partem multum poteſt, ut inquit Ovidius: Multaque corporibus tranſitione nocent. Nunc recita aliquid ex authoribus, quos didiciſti, ut

audi-

audiam, quàm diligens fueris, an etiam Grammaticam repetiveris, &c.

Ne gravis offenſus nugis ſcurrilibus hoſpes
Quærat in hac cœna, quid futilis hiſtrio quæram?
